



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciae

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

Regiolepidana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)

REGIOLEPIDANA.

237

*Papia bis, superis gratius pietate fideq;
Possidet aeternum gaudia magna poli.*

Petrus Joan. & Caspar fratri opti-
mo F. an. 1484. 17. Julii.

ALIUD.

*Stirpis Landmaria divina humanaq; jura,
Bis sex natorum pignora, divitis,
Compositum ingenium, gravior facundia, mensq;
Ingenio & probitas integra, munda fides
Joanni Andrea famam tribuere perennem.
Haud mota his rapuit perfida mors hominem.
Spes fallax, cassusq; labor, fortuna caduca.
Proh dolor, heu non est qui modó tantus erat.*



REGIOLEPIDANA.

IN CARMELITARUM.

PROSPERI EPISCOPI.

H*ic situs est Prosper, quo sancto Prasule gaudet,
Regium, & hic cineres ossaq; sacra jacent.
Marmoreo monachi condunt pia busta sepulcro,
Namq; vetus turris frögerat alta cadens.*

IN DOMINICI.

SIMONIS BRAMI.

*Hoc tumulo Brami requiescunt ossa Simonis,
Regia se urbs tanto jaçtat alumna viro.
Felsina mirata est, Ferrariaq; ipsa docentem
Graeca, Latina, artes Paonis, astra, Deos.*

IN FORO.

SUB BRENNI STATUA.

Brennus totius Saxoniae Rex, Germani exercitus Im-

perator, cum ea loca teneret, quæ Athesin Padumq; inter-
 jacent; populos, qui adventantis in Italiam Odoacri metu
 in paludes sese abdiderant, in urbes suas restituit: Odoa-
 crumq; ipsum per sororis nuptias sibi junctum post Ore-
 stis mortem Romanis conciliavit. Quibus compositis,
 cum oppida ad viam Æmiliam posita, jam Gothorum
 adventu deprædata, non sine magna tantæ vastitatis ad-
 miratione peragraret; Regiū Lepidi pervenit. Eam cum,
 aliarum urbium exemplo, vacuam hominibus molestè
 ferret; ex duobus ibi Sacerdotibus, quos casu in templo
 latentes invenerat, certior factus, populum ad petram
 Scitulam (Bismantuxæ petram hodie vocant) confugisse.
 eum in locum missis actutum legatis duobus, adjunctis-
 que in itinere illis Sacerdotibus, nunciari civibus jussit,
 Regium ut redirent, ibi Brennum gratè eos accepturum
 esse, defensurumq; etiam ab injuriis barbarorum. Itaque
 cum ipsi tanti Ducis audito nomine, spe pleni in patriam
 per Clodiam portam redirent; obviam exeuntem in ur-
 bis ponte Brennum habuerunt. Tum S. P. Q. Regiensis,
 qui cum C. D. equitum præsidio, M. peditum instructa sub
 Rom. Imp. signis acie advenerat, moti præsentis Impera-
 toris majestate, equis descendere. quo spectaculo delecta-
 tus Brennus, pari humanitate ab equo desiliens, ingre-
 dientem Senatam amicè suscepit: qui portam deinde
 Clodiam semirutam, per eos ferè novem annos, quibus
 apud eos fuit, instaurandam curavit; adjecitque ab ea par-
 te murum M. cubitorum: eam in posterum, ob gratam rei
 memoriam, Brennonam portam appellari voluit; pede-
 stemq; statuam eam ob rem sibi in illa erexit: in sculpiq;
 ibi præterea familiæ suæ insignia, pardos tres correpen-
 tes, jussit, notata literis ejus rei, in præsentem usq; diem,
 memoria.

SUB CAROLI MAGNI STATUA.

Carolus Francorum Longobardorumq; Rex, qui ob
 egregia ejus gesta Magni cognomentum tulit, omnibus
 tum corporis tum animi virtutibus præditus; Romani
 Imperii moderator opt. veræ religionis observator inte-
 gerrimus, ejus eximia liberalitate, precibusq; Apollinei
 tunc

tunc præfulis Regiensis, illi confinium Regii memoriam, in tabulis æneis incisam, & á Principibus Longobardorum jamdiu comprobata, offerentis; eosdem fines nedum confirmavit, verum etiam ultra terminos M. Æmili Lepidi Regilli, fundatoris Regii Romanor. coloniam, & sub eorum imperii legibus insignis ab ipsis olim pace belloque moderata, á finitimis ob monumenta & indulta deorum fortuito flammis consumta, interceptos produxit, finibusque Mantuæ, Bononiæ, Lucæ, Parmæ, Ticini, Novocomi adjunxit; civitatemque ipsam instituendi gymnasii, aliisque quamplurimis privilegiis decoravit.

IN ARCHU TRIUMPHALI
extra urbem.

Serenissimæ Margaritæ Gonzagæ optimæ Principis adventu læta cuncta sperantes, publicæ pietatis & lætitiæ signum.

AQUILA.

Auspiciis manifesta fides.

ANCHORA.

Tutela præfens.



PLACENTINA.

IN PLACENTIAM J. CÆS.
SCALIGER.

Nobilis antiquo porrecta Placentia muro
Hinc hostem, hinc rapidas fluminis arcet aquas.
Rara artes: gens scita, hilari sed dedit a luxu.
Ingenium angusta vix patiuntur opes.